



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Balbina V. 31. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, DEO posuit. Cùm ex humano hospitiis Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVLI migrare. At quò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscripsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facilè indulgit. Nam cùm permultis inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vicem usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi iudici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGVLVS silentium immorigeris, & ecce continuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse.

Ex Petro de Nat.

Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat te terreat timor Iudicii, metus gehenna, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fatens, Tartarea & omnia mala. S. Ber. de Int. dom. c. 63.

S. BALBINA V. 31. Martii.

PUellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unice chara. Sed quia hic

Alexan-

Alexandrum Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem patris in filiâ (oculo parentis) statuit, colloque virginis ingens onus, & quod omnem pulchritudinem extingueret, strumam appendit. Cum hâc dote cum nulli jam placeret BALBINAM ducere, & parens desperandum sibi de nuptiis filiæ videret, Alexandrum in vinculis accessit, promisitque, si strumam filiæ collo pelleret, superstitionem se cum hâc animo pulsurum. Facile utrinque convenit. Vix admovit Alexander filiæ vincula sua, quæ Quirinus injecerat, cum illa strumam, uterque superstitionem posuit. Itaque jam nuptiæ splendide parabantur. Sed puer elegantissimus adstitit virgini, face armatus. Is sive Amor sive Hymeneus sanctior facile melioris Sponsi amore accendit, JESVQUE ut nuberet, induxit. Interea creberrima oscula salutis auctoribus vinculis Alexandri fixit. Idem præstitit monita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui deinde pro Christo & Alexander & pater; virgo longius supervixit, utriusque heres virtutis. *Ex Ferrario.*

Sit suavis & dulcis affectui tuo Dominus JESVS contra malè utiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavus clavum expellit. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. S. Bern. serm. 20. in Cant.

H

APRI-